

De paralyysi nervi facialis : dissertatio inauguralis ... / auctor Eugenius Humbert.

Contributors

Humbert, Eugen.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gy2q6swg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
**PARALYSI NERVI
FACIALIS.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGISTRATI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XXIII. M. JUNII A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

EUGENIUS HUMBERT

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

K. JERICHO, MED. ET CHIR. DR.

J. KOHN, MED. ET CHIR. DR.

K. WALTHER, MED. ET CHIR. DD.

PROOEMIUM.

Cogitanti mihi, quamnam ex amplo scientiae medicae orbe materiam inaugurali opusculo tractandam sumerem, sollicitoque ne tritissimam neve difficillimam eligerem, tandem aptissimum videbatur juvenili humerorum viribus, morbi cujusdam haud ita rari descriptionem exhibere, cujus singuli quidem casus satis multi apud autores fusius enarrati, cujus etiam formae seu species quaedam causarum remotarum diversitate nitentes a nonnullis depictae inveniuntur, cujus tamen descriptionem magis generalem adhuc desideramus. Profecto enim apud celeberrimos auctores infra a me laudandos observationum copia satis magna de paralyti nervi facialis reperitur, sed rudis fere ac indigesta moles, quae ideo in compendiis tantum non omnibus vix obiter attingitur.

Et magis autem thema de paralyti illa ponendum mihi arridebat, quum, etsi non multos, duos tamen istius affectionis casus, sub finem opusculi afferendos, ipsi mihi videre contigisset. Num vero lucidam aequae ac succinctae observationum descriptionem exhibere, itaque ad errores medicorum, hucusque circa hunc morbum in praxi haud infrequentes, in posterum avertendos aliquid conferre mihi evenerit, pro juvenili virium infirmitate admodum dubitandum. Quare lectores, si qui erunt, rogatos volo, ut, quae inauguralia tironum opuscula dijudicari solent, indulgentiam nec meo denegent.

INTRODUCTIO.

Et si ex antiquissimis et Hippocraticis inde temporibus in morbos, quos vel nervosos vel nervosi systematis generisve vel nervorum vel neuroses vocabant; multi egregii observatores animum adverterunt, et nonnulli adeo, inter quos Tissot (1) imprimis

(1) Tissot, *Traité des nerfs et de leurs maladies*. Paris 1778. 6. Vol. in 12. — *Repetit.* Lausann. 1778—84. 4 Vol. in 12. Avignon 1800. 4 Vol. in 12. — *Vers. Germ.:* Tissot *Abhandlung über die Nerven und deren Krankheiten*. 3 Thle. od. 6 Bde. Uebersetzt von Ackermann. Leipz. 1790—93. 8. Priorem versionem Weber curaverat. 4 Bde. Winterthur 1781—82. 8.

Praeter Tissotum alii quidam graviore auctores, qui de morbis nervosis proprios libros conscripserunt, ut antiquiores, neque non illos, qui morbos nervosos non nisi ut partem systematis nosologici universalis tractaverint, taceamus, hi sunt:

Fr. Hoffmann, *diss. de morbis ex atonia cerebri nervorumque nascentibus*. Halae 1708. — *Recus.* in ejus *Opp. omn.* Tom VII.

eminet, ex professo et speciatim de iis egerunt, tamen infitias iri non potest, multum adhuc abesse,

Boerhave, Praelect. academ. (posthumae) de morbis nervorum, quas edi curavit J. van Ems. 2 Vol. in 8. L. B. 1761. — Amst. 1761. — Bern 1762. Francof. 1762. Venet. 1762. 2. Vol. 4.

J. Hill, The construction of the nerves and causes of nervous disorders. Lond. 1758. 8.

Rob. Whytt, Observations on the nervous hypochondriac or hysteric disorders. Edinb. 1765. 8. — Vers. Germ.: **R. Whytt**, Betrachtungen über die Krankheiten, die man gemeiniglich hypochondrische, hystericische und Nervenzufälle nennt. A. d. Engl. mit Anmerk. Leipz. 1794. 8.

Isenflamm, Versuch einiger praktischen Anmerkungen über die Nerven, zur Erläuterung verschiedener Krankheiten derselben. Erlangen 1774. 8.

de la Roche, Analyse des fonctions du système nerveux, pour servir d'introduction à un examen pratique des maux des nerfs. Pav. 1778—79. 2. Vol. 8. — Vers. Germ. ed. Merzdorf. Halle 1794—95. 2. Vol. 8.

Alex. Thomson, An inquiry into the nature, causes and method of cure of nervous disorders. London 1782. 8. — Repetit. ibd. 1795. — Vers. Germ. ed. Mühri. Hannov. 1798. 8.

Heineken, de morbis nervorum eorumque ex abdomine orig. Gött. 1783. 4.

Musgrave, Considérations et conjectures sur les fonctions et les maladies des nerfs. Par. 1785. 8. — Germ. Leipz. 1786. 8.

Kühn, Pract. Abhandlung einiger das Nervensystem betreffenden Krankheiten. Breslau 1786. 8.

Reuss, Versuch einer Einleitung in die allgemeine Pathologie der Nerven. Prag und Leipz. 1788. 8.

ut eorum cognitione quodammodo perfecta gloriari possit scientia medica. Non enim solum in componendis morbis e diversorum autorum sententia huic ordini adscribendis symptomatum fere sem-

Neale, Practical dissertations on nervous complaints and other diseases. Lond. 1788. 8. — Vers. Germ. Berl. 1793. 8.

Andr. Pasta, De' mali senza materia. Bergamo 1791. 4.

Ploucquet, Diss. de morbis neuricis. Tub. 1792.

Johnstone, Medical essays and observations, with disquisitions, relative to the nervous system. London 1795. 8. Vers. Germ. ed. Michaelis. Leipz. 1796. 8.

S. Walker, A treatise on nervous disorders. Lond. 1796. 8.

Michell, Abhandl. von den Nervenkrankheiten. A. d. Lat. v. Eyerel. Wien 1798. 8.

Cassel, Diss. sistens cogitata circa originem et formam morborum systematis nervosi. Paris 1805. 4.

Autenrieth, Diss. de natura et medela morborum neuricorum generatim spectatis. Tub. 1806.

v. Hoven, Versuch über die Nervenkrankheiten. Nürnberg. 1813. 8.

Pring, A view of the relations of the nervous system in health and diseases. Lond. 1815. 8.

Reid, Essays on hypochondriacal and other nervous affections. Lond. 1816. 8. — Vers. Germ. ed. Haindorf. Essen 1819. 8.

Minora plura laudata videas apud Jos. Frank Praxeos med. univers. praecepta. Edit. alt. P: II. Vol. I. Sect. I, in notis ad introductionem.

Alios quosdam autores ad recentiores scholas pertinentes infra laudabimus.

per sola habita est ratio, et praeponderans symptomaticarum denominationum copia cuius facile ostendit, multa admodum heterogenea hic congesta, quinimo singula saepe diversissimorum morborum symptomata morborum loco et dignitate enumerata esse (1); — sed etiam diu in disponendis, disquirendis, discernendis singulis morbis symptomatum et causarum remotarum modo praecipue habita est ratio, neglectis disquisitionibus anatomico-physiologicis, quae tamen in systemate e partibus et elementis structura et functione perquam diversis summi sane momenti fuissent. Exstabant quidem in libris pathologo-anatomicis, praesertim ex Wepferi (2) inde temporibus, multa egregia ad sedes et causas morborum nervosi systematis facientia, sed solennis circa anatomiam pathologicam incuria, quominus haec in rem medico-practicam rite transirent, impedivit. Recentioribus demum temporibus exterorum imprimis opera majorem aliquam huic morborum ordini

(1) Exemplo sint denominationes epilepsiae aliorumque morborum spasmodicorum neque non dolorosorum.

(2) Wepferi opera huc pertinentia sunt: *Observationes anatomicae ex cadaveribus apoplecticis*. Scaphus 1658 et al.; ed. plenissima. Amstel. 1724. 8. — *Observationes medico-pract. (posthumae) de affectibus capitis internis et externis*. Scaphus 1727. 4.

Seriorum, quae hujus loci sunt, operum et opusculorum enumerationem plenissimam invenies apud Otto, *Lehrbuch der pathol. Anatomie*. Bd. I. §. 216. 59.

lucem affulsit. Etsi quidem negari non possit, Franco-gallos imprimis medicos secundum illud de Scylla et Charybdi proverbium »organicisticos« ex parte existisse, ut omnia interdum, quae cultello exhiberi non possent, minoris habuerint, non tamen praetermittendum est, hoc vitium idoneum, ut ita dicam, tempori fuisse, necessarium evolutionis rei medicae gradum sistere, et oppositionem formando priusque vitium compensando admodum utile evasisse. Illorum igitur imprimis neque non Anglicorum quorundam medicorum opera pathologia cerebri, medullae spinalis eorumque integumentorum haud parum provecta est (1). Usque vero ad recentissima tem-

(1) Libri graviores, qui huc pertineant, hi fere sunt: **Rachetti**, Della struttura, delle funzioni e delle malattie della midolla spinale. Milano 1806. 8.

Hébréart, Observations sur quelques maladies du cerveau, du cervelet et de leurs membranes etc. Par. 1819.

Lallemand, Recherches anat. patholog. sur l'encéphale et ses dépendances. Par. 1820. 1823. 2 Vol. 8. Vers. Germ. ed. Weese. Leipz. 1825. 2. Vol. 8.

Cooke, a treatise on nervous diseases. Lond. 1820. 23. 2 Vol, 8.

Abercrombie, Pathological and practical researches on diseases of the brain and spinal chord. Second. edit. 1829. 8. — Vers. Germ. ed. v. d. Busch. Brem. 1830. 8. (Etiam s. t. Abercr. Pathologie und pract. Untersuchungen. Thl. I. Version. Germ. secundum priorem editionem ediderat de Blois, cum appendice Ill. Nasse. Bonn 1821. 8.

pora periphericorum nervorum pathologia vix inchoata erat; animadversiones modo haud ita multae,

Prichard, A treatise on the diseases of the nervous system. Lond. 1822. 8.

Georget, de la physiologie du système nerveux et spécialement du cerveau; Recherches sur les maladies nerveuses en général, et en particulier sur le siège, la nature et le traitement de l'hystérie, de l'hypochondrie, de l'épilepsie et de l'asthme convulsif. Par. 1821. 2 Vol. 8.

Idem, Des névroses ou maladies nerveuses. Paris 1826. 8.

Serres, Recherches physiologiques et pathologiques sur le cervelet de l'homme et des animaux. Par. 1823. 8.

Lobstein, De nervi sympathetici humani fabrica, usu et morbis. Paris 1823. 4. fig.

Ollivier, Traité de la moëlle épinière et de ses maladies. Paris 1824. 8. sec. ed. — Vers. Germ. cum adnotationibus cur. **Radius**. Leip. 1824. 8. fig.

Bouillaud, Traité clinique et physiologique de l'encéphalite ou inflammation du cerveau et de ses suites, telles que le ramollissement, la suppuration, les abcès, les tubercules, le squirrhe, le cancer etc. Par. 1825. 8.

A. L. J. Bayle, Traité des maladies du cerveau et de ses membranes. Par. 1826. 8.

Sahmen, die Krankheiten des Gehirns und der Hirnhäute. Riga 1826. 8.

Monro, Morbid anatomy of the brain. Vol. I. 1827. 8. fig.

Hooper, Morbid anatomy of the human brain; being illustrations of the most frequent and important organic diseases, to which that viscus is subject. Lond. 1828. 4. fig. col. (quarum magna pars repetita in »Klinische Kupfertafeln.« Weimar 1828. seq. 4.)

anatomicae magis quam pathologicae, hic illic in libris medicorum et anatomicorum dispersae inveniebantur; quarum quidem maxima pars in Cel. Oppertii (1) libello ante hos undeviginti annos sedulo collecta est, quin tamen istius provinciae cognitio multum inde promoveretur. Tandem vero trium

Bompard, Considérations sur quelques maladies de l'encéphale et de ses dépendances. Par. 1828. 8. — Vers. Germ. ed. Vezin. Osnabr. 1830. 8.

Mongellaz, de la nature et du siège de la plupart des affections convulsives, comateuses, mentales etc. Par. 1828. 8.

Brachet, Recherches expérimentales sur les fonctions du système nerveux ganglionnaire et sur leur application à la pathologie. Par. 1830. 8.

Cook, Pathological anatomy of the brain, spinal chord, and their membranes. Lond. 1831. 12. fig. col.

Rochoux, Recherches sur l'apoplexie et sur plusieurs autres maladies de l'appareil nerveux cérébro-spinal. 2de édit. Par. 1833. 8.

C. G. Neumann. Von den Krankheiten des Gehirns der Menschen. Coblenz 1833. 8.

N. Rey, Sur la pathogénie de quelques affections de l'axe cérébro-spinal. Par. 1834. 4. fig.

Porro huc pertinent monographiae multae, unum vel alterum modo morbum tractantes, quarum enumeratio longior erat, ita ut praestantiorum illarum, quas a fratribus Wenzel, a Rostanio accepimus, mentionem brevius modo injicere liceat; neque non libri permulti de morbis psychicis, quorum enumerationem plenissimam Friedreichii opera bene nota sistunt.

(1) **Oppert**. De vitiis nervorum organicis. Diss. inaug. Berol. 1815. 4.

imprimis medicorum itidem exterorum opera, **Caroli Bellii** (1), **Swanii** (2), **Descotii** (3), plura eaque multo graviora exhibita et singulorum quoque nervorum pathologiae ampliora fundamenta jacta sunt.

Accidit hic felicissimum, ut physiologia pathologiae facem praeferret et insimul ab hac vice versa incrementa nova caperet. Egregiae nimirum **Bellii** (l. l.), **Magendie** (4), **Mayonis** (5), **Eschrich-**

(1) **C. Bell**, On the nervous system of the human body. Lond. 1830. 8. fig. (Quo opere priores quaedam auctoris commentationes in »Philosophical Transactions« aliisque locis impressae collectae continentur.) Vers. Germ. **K. Bell** *Physiol. u. pathol. Untersuchungen des Nervensystems*. A. d. Engl. v. **Romberg**. Berl. 1832. 8. fig.

(2) **Swan**, A dissertation on the treatment of morbid local affections of the nerves. Lond. 1821. 8. Nova edit. sub tit.: A treatise on diseases and injuries of the nerves. Lond. 1834. 8. — **Swan** über die Localkrankheiten der Nerven. A. d. Engl. v. **Franke**. Leipzig 1824. 8.

Ejd. Observations on some points relating to the anatomy, physiology and pathology of the nervous system. Lond. 1822. 8. fig.

(3) **Descot**, Dissertation sur les affections locales des nerfs. Par. 1825. 8. (**Beclardi** imprimis observationes continens). Vers. Germ. ed. **Radius**. Leipz. 1826. 8.

(4) **Magendie** in ipsius *Journ. de physiologie expériment. pluribus locis*.

(5) **Herbert Mayo**, Anatomical and physiological commentaries. Lond. 1822. 23. 2 Vol. 8. fig.

tii (1) et Panizzae (2), serius etiam Joannis Muelleri (3) et Rappii (4) observationes sententiam istam antea vix praesagitam, diversorum nervorum functiones diversas esse, et nervos hac ratione dividi posse in illos qui sensui, illos qui motui, illos qui utrique huic functioni praesint, disquisitionibus anatomicis et vivisectionibus in animalibus institutis superstruxerunt, quam postea virorum supra laudatorum observationes pathologicae egregie confirmaverunt et accuratius definiverunt. Evictum quoque est, cuivis organo pro ipsius functionum varietate diversis nervis prospici, et vicariam nervorum actionem, prioribus auctoribus acceptam, nunquam exstare. Quae veritates, physiologiam gravissimo eodemque inexpectato incremento augentes, fecundissimus quoque pathologiae nervorum fons jam exstiterunt, et, uti certo sperari potest, fecundior in dies existent.

(3) Eschricht, De functionibus nervorum faciei et olfactus organi. Hafn. 1825. 8. (Quo libello priores duae commentationes, antea in Magendii diario impressae, recusae continentur.)

(4) Cf. Scarpa, De gangliis nervorum deque origine et essentia nervi intercostalis ad Weberum epist. 1831.

(5) Job. Mueller in additamentis ad Belliant operis supra laudati versionem Rombergianam aliisque locis.

(6) Rapp, die Verrichtungen des 5ten Hirnnervenpaars. Leipz. 1832. 4. fig.

Ad instituendas vero observationes hujusmodi pathologicas illi imprimis nervi, qui simplici radice orientes alteri tantum functioni praesunt, et praecipue illi, quorum radix ganglio caret, et qui motu ideo funguntur, apti sunt. Quare in facie potissimum magis ac in longe plurimis aliis corporis partibus tales institutae sunt. Facies nimirum nervulis instruitur e duplici fonte prodeuntibus. Ramuli nervi facialis radice simplici et ganglio destituta orientis motui tantum musculorum facialium stricte sic dictorum praesunt; quorum ipsorum et cutis simul sensui ramuli portionis majoris, ganglio institutae, nervi quinti prospiciunt. Qui vero reliqui sunt musculi, communi nomine masticatoriorum venientes, ramulos accipiunt a portione minore quinti, quae quidem radice simplice eademque ganglio destituta oritur, ita ut hac de causa ipsam motui soli praeesse a priori crederes, cui tamen fila portionis majoris immiscentur, ita ut horum utrorumque filorum conjunctione nervus exhibeatur (Eschrichtio masticatorius audiens), qui nervorum medullae spinalis ad instar utrique functioni principali praeesse potest. Quodsi hos musculos exceperis, quorum ceterum actio a reliquis, quae in facie observatum veniunt, facile distinguitur, — in ceteris faciei functionibus non solum, sed etiam affectibus morborum, quatenus nervosi generis sunt, fontem semper fa-

cile vel in quinto vel in faciali nervo erues (1). Facialis nervi affectus, graviores certe, commune signum motus musculorum facialis stricte sic dictorum magis minusve sublatis exhibent, ex functione nervi facile explicatu. Quare in hodierno medicinae statu commodum videbitur, ab hoc symptomate principali et vel necessario ac pathognomonico denominationem petere, et ideo omnes nervi facialis affectiones, quae hoc signo conveniunt, in uno morborum genere, »paralysi musculorum faciei«, vel »paralysi nervi facialis« componere. Quod signum facile tantum non semper et certo observatur, cuique aliorum symptomatum accedentium, primitivae motus laesionis partim sequelarum, congeriem addere potes, ut perfectam aegritudinis imaginem nanciscaris.

Atque ita sequentem symptomatum congeriem in omnibus nervi facialis affectibus tantum non semper obtinere, experientia jam edocti sumus.

SYMPTOMATOLOGIA.

Tota facies in latere affecto resoluta apparet. Os et nares ad latus sanum trahuntur, et quidem

(1) Quare in posterum errorem istum prioribus temporibus solennem, ut in prosopalgia nervi facialis ramulum quendam affectum putes et perseces, haud ita facile committere poteris.

in gravioribus casibus perpetuo, in levioribus interdum, clamandum solum. Aegrotus neque flare neque sibilare valet, neque salivam recta projicere, sed oblique modo ad latus sanum; litteras labiales interdum obscurius pronunciat. Interdum etiam cibos inter dentes et malas collectos inter dentes retrudendi, rarius salivam vel alimenta in ore retinendi facultas abolita est. Naris lateris aegroti aliquantum collabi, illa sani aliquantum dilatari solet. Palpebrae in somno adeo, omnino non vel certe haud perfecte claudi, supercilia et frons corrugari non possunt. (Palpebrae semper apertae Bellio copiam dederunt observandi, inter nictitationem bulbum semper sursum volvi, quam rem postea etiam in sanis hominibus constantem observavit.) Interdum mandendi vis in latere aegroto imminuitur. Cutis lateris faciei affecti laxa vel etiam, ubi fortius in latus oppositum trahitur passive tensa apparet; totumque hoc faciei latus inter animi affectus expressione solita caret. — Haec omnia symptomata partium functionis ratione habita facile explicabis, excepto symptomate illo interdum observato mandendi vis imminutae, quod faciali nervo, ut qui musculos faciales stricte sic dictos tantum ramulis instruat, resoluto tribui non potest, ad quod explicandum igitur ad numerosas inter facialem et quintum nervos anastomoses recurramus necesse est,

quibus affectio sympathica facile provocari possit (1). Rarius surditas vel etiam plane contrarium symptoma, sensibilitas nimirum membranae tympani, fortiore quovis sono provocata, observatur, quae symptomata consensu nervi facialis cum auditorio et decursu chordae tympani sufficienter, ut videtur, explicantur. — Nisi ars vel, quod rarius accidit, natura morbum nervi facialis sanat, tandem, ut etiam in aliis paralysibus fieri solet, partes affectae atrophicae evadunt.

Leviores morbi gradus vel residua, ubi v. c. inter loquendum modo et ridendum os oblique trahitur vel aegroti oculis semi apertis dormiunt, saepe probabiliter observatorum adtentionem effugerunt.

Contra alia quaedam symptomata perperam nervo faciali affecto adscripta sunt, illa nimirum quae prosopalgiam Fothergillii constituunt, et quae, uti hodie certo scimus, nervi quinti modo ramis imputanda sunt. Qui error, uti jam supra adumbravimus, multarum sine dubio curationum frustra, imo cum detrimento aegroti, susceptarum copiam dedit; sectio nimirum ramorum facialis, in scholis tantum non omnibus praecepta, dolorem tollere non poterat, et paralysin modo producere debebat. Nonnisi illae contractiones musculorum

(1) Inversa ratione interdum observamus, quinti nervi affectionem cum septimi ramulis communicari; cf. Rappii l. l. p. 22.

spasmodicae, quae in intensioribus prosopalgiae casibus accedunt, consensui, eidemque momentaneo modo, nervi septimi imputari possunt.

AETIOLOGIA.

De causa aegritudinis depictae proxima nihil fere est quod supra dictis adjiciamus. Vidimus enim, quamvis graviolem nervi facialis affectionem paralytin cum symptomatibus allatis provocare. Ceterum affectiones illae, quoad naturam intimam valde diversae exstare possunt, inflammatoriae vel asthenicae, idiopathicae vel sympathicae et metastaticae e. s. p. —, quin in concretis casibus diversitatem illam eruere semper valeamus. Etsi enim causarum remotarum et symptomatum diversitatem mox recensendam in auxilium vocemus, tamen hic ut alibi ad accuratiorem et perfectam causae proximae cognitionem saepe non penetrabimus.

Gravioris autem momenti medico aegrum curaturo causarum remotarum cognitio est, quippe quarum amotio plurimum semper ad sanationem faciat; has autem inter vitam symptomatibus praecipue accessoriis, quae praeter paralytin provocant, cognoscemus. Innotuerunt hucusque sequentes praecipue causae remotae, quas una cum symptomatibus accessoriis tradam. Potes vero, si vis, secundum has causas totidem morbi species discernere.

1. 2.

Suppressio excretionum quarundam, et morbosarum, uti exanthematum, et naturalium, mensium nimirum, memoratur, illa vero a solo **Descotio**, haec passim ab uno tantum et altero auctore, quorum nullus praeter generalia symptomata specialia quaedam addit, ita ut hucusque, si hae morbi species obviam veniant, nonnisi ex anamnesi, naturam earum eruere valeamus.

3.

Omniū vero causarum remotarum frequentissima est refrigeratio, quae »rheumaticam musculorum faciei paralytin« s. »rheumatismum paralyticum faciei« auctorum sistit. Quum de hac morbi specie plurimae ab auctoribus observationes collectae sint (1), nobis quoque de ipsa fusius agendum erit.

(1) Jam vetustioribus medicis hanc morbi speciem, imperfecte quidem et mance, notam fuisse, videre licet in **Sauvages nosolog. method. art. »Trismus Diastrophe«**.

Accuratius vero de ipsa primus egit **Nicol. Friedrich** (De paralyti musculorum faciei rheumatica. Progr. pro loco. Wirceb. 1797. 8.), qui tres ejus casus observaverat singulosque narrat. — Programma istud relatum invenis in **Ejusd.: Gesamm. medic. Programme, herausgeg. von J. B. Friedreich. Würzb. 1824. 8. Libelli summam etiam legis in: Journ. der Erfindungen, Theorien d. Widersprüche etc. St. 25.**

Dissertationem quandam a **Verschuirio** conscri-

Morbus a rheumatismo, initio magis vulgari, alterius faciei vel capitis dimidii incipere solet, qui dolore, calore, tumore et rubore — vel in illa tantum regione, quae processui mastoïdeo (subjacentique foramini stylomastoïdeo, e quo nervus facia-

ptam et commentationes quasdam in diariis communicatas, a viris Powell, Schönemann, Labonardièrè, Billard et Johnson, singulos modo plerumque casus exhibentes, laudatas vide in Descotiani libri vers. Germ.

Rademacher in Hufeland Journ. Bd. 8. St. 2. p. 130 seq. (Unum casum tradit.)

Casus quoque quidem a C. Mueller in eodem diario, Bd. 14. St. 3. p. 92 seq. communicatus huc pertinere videtur, etsi scriptor menses suppressos causam arguat.

Succow, in Hufeland Journ. d. prakt. Arzneik. 1810. Sept. p. 52. (Duo casus.)

Plures eaeque graviores observationes et casus, quos huc trahere possis, neque non loci quidam aliorum auctorum laudati, inveniuntur apud Shaw (in London med. chir. Transactions Vol. XII. Part. I. 1822. p. 105. seq.), Descot et Carolum Bell (l. l.); rheumaticam vero morbi indolem Shaw et Descot haud distincte indicaverunt, Bell non dignovit, qui posterior in universum hanc morbi speciem minus bene novit ac alias quasdam.

Bird, in Harlefs Rheinische Jahrbücher. Bd. 8. St. 2. p. 48. (Unum casum tradit.)

Eichelberg, in Hufeland Journ. 1826. Aug. p. 131. (Novem casus et generalia.) — Relata etiam in Rust Magaz. für die gesammte Heilk. Bd. 21. p. 546 et in v. Froriep Notizen. Bd. 14. p. 240.

lis prodit) respondet, vel etiam per totum faciei latus — cognoscitur. Interdum dolores satis distincte in directione ramorum nervi facialis procedunt, a regione processus mastoïdei ad tempora, palpebras, trans malam e. s. p. quasi radiantes. Solent symptomata rheumatica in remotis quoque partibus (cervice, humeris aliisque) adesse, neque non magis minusve vehemens febris rheumatica. Citius serius — interdum jam post aliquot horas, interdum post nychthemera vel plures dies — rheumaticis symptomatibus paralytica (quae ut ad totum morbi genus pertinentia jam supra descripsimus) adjunguntur; rarius cum levioribus rheumaticis symptomatibus ab initio statim paralysis existit. Postea vero et vel per totam morbi durationem catarrhus nasi dimidii et epiphora oculi lateris affecti vel etiam utriusque oculi adesse solent; inveterascente vero morbo saepius, ut etiam in aliis morbi speciebus, plane oppositus oculi status nascitur, insignis nimirum siccitas, quae iterum, quia bulbus haud amplius inter nictitandum rite madefit, inflammationem bulbi superficialem chronicam et inde coecita-

Phoebus, in *Med. Zeitung des Vereins für Heilkunde in Preussen*. Jahrgg. I. Nr. 13. p. 55 seq. (Duo casus et generalia.)

Friedrich, in *Clarus und Radius wöchentl. Beiträgen etc.* Bd. 2. Nr. 1. (Duo casus).

tem adeo producere valet (1). Surditas, vel etiam sensibilitas membranae tympani adaucta, etiam in hac specie interdum observantur. (In casu quem Roux Parisiensis in semet ipso observavit, jam per nycthemerum ante paralyisin sapor metallicus in altero linguae latere aderat — an revera ad morbum pertinens?) — Symptomatibus rheumaticis naturae vel artis ope sublatis, paralytica diu adhuc perdurare solent, imo chronica et habitualia existere possunt, quo tandem affectum faciei latus atrophicum, mala tenuior evadit. Leviores morbi hujus haud ita rari casus in infantibus, inde ut videtur non exemptis, »oris distracti« titulo injusto probabiliter interdum puniuntur.

Quodsi hanc morbi speciem, uti a plurimis auctoribus factum est, ut peculiarem morbum consideras, itidem de ipsius causis remotis agere potes. Sunt vero hae causae remotae et disponentes et occasionales, illis aliorum morborum rheumaticorum similes; interdum distinctius adhuc frigidus in latus capitis affectum perflatus argui potest. — Morbus in dextro et sinistro latere aequae frequenter exstare videtur; nullus adhuc, quantum sciam, casus innotuit, ubi utrumque simul latus affectum fuerit. — Quodsi illos casus, quos singulos autores enarra-

(1) Etiam in canibus, asinis, simiis persecto nervo faciali, semper eodem modo oculum inflammari vidit Shaw.

vere, computas, multo majorem in viris ac in feminis numerum obvenisse vides, probabiliter vero ea tantum de causa, quod viri frequentius perfriktioni sese exponant. — In Anglia, Londini certe, secundum Shaw morbus multo ac apud nos frequentior esse videtur, quippe quem vulgus ibi noverit, et paroxysmum ejus denominatione » a blight « insigniando, atmosphaerica quadam vi oriri, adapte arguant; tradit etiam auctor, in Londini plateis quotidie plura ejus specimina in senioribus conspici posse. Ex ejusdem testimonio etiam in India orientali illo anni tempore, quo venti frigidi regnant, morbus frequenter occurrit. Josephus Frank tradit, morbum in septentrionalibus regionibus ita frequentem esse, ut ipse intra quindecim annos bis et vicies eum observaverit.

4.

Alia quaedam causa frequens est apoplexia; uti in alios quosdam nervos cerebrales et medullares adeo, ita etiam in nervum facialem passio cerebri, etsi non materia, vi certe propagatur. Nondum liquet ex illis, quae autores tradunt, utrum in apoplexia sanguinea an in nervosa sollemior sit coaffectio nervi facialis; quod quidem scire ideo multum nostra interesset, quia inde in sedem primariam frequentissimam utriusque istius affectionis concludere possemus; observari autem videtur in utraque. Concludere poteris in hanc morbi speciem

praecipue e symptomatibus concomitantibus. Tantum non semper enim et linguae vocisque resolutio aderit, quod non solum nervorum linguae, laryngis, pharyngis motui servientium origine propinqua a priori probabile, sed etiam experientia jam edoctum est. Praeterea etiam hemiplegia totius corporis lateris, aliaque apoplexiae signa, neque non prodromi et causae procatarticae, et, si tamen fortasse dubii aliquid remanserit, mox remedium adhibitorum effectus lucem afferent. Multum autem medici semper intererit, hanc morbi speciem a praecedente distinguere, quum curationem admodum diversam tantum non semper expostulent.

5.

Porro inter causas remotas computatum veniunt mutationes organicae nervi facialis, quarum satis magnum numerum anatomia pathologica jam patefecit. Inflammatio nimirum, multo frequentius suppuratio partium vicinarum in nervum quoque facialem vel vi vel materia adeo propagatur; praecipue hoc in carie ossis temporum, tympani v. c. vel processus mastoïdei obtingere observamus (1). Prae-

(1) Ita Lallemand l. l. Vol. II. p. 220, 21 tradit: «D'autres fois la carie s'étend à l'aqueduc de Fallopie, probablement par l'ouverture qui donne passage à la corde du tympan. Cette direction est encore une des causes qui fait que la carie gagne la face supérieure du rocher en suivant l'hiatus de Fallopie. Elle est annoncée par des symptômes assez caractéristiques. Le ma-

grediuntur in his casibus paralyti symptomata irritationis nervi, dolores scilicet atroces secundum ejus decursum et contractiones spasmodicae musculorum quibus prospicit, illis, quae in prosopalgia Fothergillii interdum observantur, haud absimiles. Tandem vero evanescentibus his communia symptomata paralytica superveniunt.

6.

Praeter mutationes organicas in nervo ipso tales in partibus vicinis nervum comprimendo plane similes interdum affectus producunt; quod haud raro in parotitide, vel etiam saepe glandula modo quadam lymphatica foramini stylomastoideo vicina tumida observatum est. Exploratio manualis loci dolorosi hic diagnosi succurret nisi tumor in cavo

lade éprouve dans le principe de vives douleurs, des contractions spasmodiques de la face, semblables à celles du tic douloureux. Enfin la paralysie des muscles survient quand le nerf facial est désorganisé. J'en ai rencontré cinq exemples; dans tous les malades offraient le facies des apoplectiques; l'un d'eux est mort à l'Hôtel-Dieu d'une maladie étrangère à l'oreille. J'ai trouvé le nerf facial désorganisé, l'aqueduc de Fallopius détruit, ainsi qu'une partie du rocher environnant. Le premier jardinier du jardin de Pécole de Montpellier a offert les mêmes symptômes, auxquels succédèrent du trouble dans les fonctions intellectuelles, un état comateux et une longue agonie. J'ai appris qu'on avait trouvé après la mort le rocher détruit presque en totalité et un abcès dans le cerveau. Mais je n'ai pu me procurer des détails plus circonstanciés.

cranii, vel in ipsa ossis petrosi substantia natus fuerit, quo vero casu alia signa vel cerebri pressi, vel auditus affecti, vel ossis morborum non deficient.

7.

Causae traumaticae porro, lapsus, ictus, plagae, neque non operationes chirurgicae, paralytin provocaverunt. Etsi in his anamnesis raro explicationem necessariam deneget, tamen inveteratus interdum casus, anamnesi simul minus certa, commutari posset cum rheumatica musculorum faciei paralyti; sed utraque morbi species inveterata similem fere curationem exposcet, ita ut prognosis ad summum falsa inde oriatur. — Laesiones vero nervi facialis integra cute exstare possunt; imprimis cum fractura ossis temporum jam saepe ruptura quoque istius nervi observata est.

8.

Denique etiam interdum partialis modo nervi facialis affectio exstitit, unde pars modo symptomatum generalium supra descriptorum observatum venit. Ita Descot v. c. casum communicat, ubi abscessu magno in regione parotidis dextrae reliqua symptomata provocata erant, palpebra vero superior, supercilium et frons integra remansere; disquisitio anatomica post mortem instituta monstravit maximam portionis durae, ubi e cranio egreditur, partem ulceratione destructam esse, integra tamen illa

parte, quae in superiorem pedis anserini divisionem abit.

Plures omnium fere harum specierum invenire potes apud **Descotium** et **Bellium**; rheumaticae speciei duos casus ipsi infra referemus.

Facile et adapte cuique harum specierum nomen quoddam modo nosologico solito indere posses, atque ita:

paralysin nervi facialis metastaticam (1. 2),
— — — rheumaticam (3),
— — — apoplecticam (4),
— — — organicam (5),
— — — mechanicam (6),
— — — traumaticam (7),
— — — partialem s. incompletam (8)

discernere.

DIAGNOSIS.

Commutationem totius nostri morborum generis cum alio quodam morbo, nemo facile committere poterit, si symptoma pathognomonicum fusius supra (pag. 16 et 17) a nobis dilucidatum spectaverit. Facilius aliquis singulas hujus generis species alteram cum altera commutare posset, in quarum singulis enumerandis tamen, quae necessaria fuerint ad discernendum, jam sufficienter attulisse nobis videmur. Quare id modo adhuc adjicere liceat,

in inveteratis quidem ac diu neglectis casibus accuratorem causae remotae et ideo speciei disquisitionem interdum difficultatibus premi, tunc vero etiam nihil vel parum ad curationem facere solere.

PROGNOSIS.

Ad hanc, praeter alia momenta in quavis prognosi consideranda, causarum imprimis diversitas plurimum facit, — quod fusius explicare supervacaneum videtur. Itaque morbus interdum sat levis erit et facilis sublato, interdum gravior et vitae periculo adeo non exemptus. In universum vero notandum est, morbum rarius solius naturae vi tolli, hanc sanationem nunquam certo a medico expectari licere, et durationem morbi chronicam tantum non semper et diuturnam esse. — Specialem magis prognosin metastaticae speciei exhibere ob mancam ejus notitiam nondum possumus. In rheumaticae recentibus casibus sub adapta curatione, omnium symptomatum amotio intra paucas hebdomades sperari, in inveteratis econtra vix perfecta sanatio expectari potest; ubi oculus simul graviter et continuo affectus, coecitas adeo timenda. In hac saepius ac in aliis speciebus sola natura morbum paulatim sustulit. Apoplecticae speciei prognosis eadem est quae apoplexiae. De ceteris speciebus vix generalia quaedam exhibere valemus.

THERAPIA.

In curatione quoque causarum remotarum ratio principalis habenda erit. In metastatica igitur specie excretio suppressa restituenda erit, apoplectica econtra apoplexiae curam solitam, inflammatio, suppuratio, caries tumoresve in partibus vicinis curationem imprimis chirurgicam aliunde notam expostulant, e. s. p.

De rheumaticae speciei curatione haec fere ab expertis hucusque praecipiuntur. Praeter methodum antirheumaticam generalem (1), quae tamen in inveteratis casibus supervacanea fere semper erit, topica praecipue medela adhibenda est. Initio quamdiu symptomata rheumatico-inflammatoria praeponderant, nihil fere faciendum erit quam ut locum affectum tepidatum serves (epithematibus siccis (2) v. c.), et cutem leniter irrites (imposito v. c. panno laneo). Serius vesicatorium in regionem processus mastoidei applicabis et vel diu apertum fovebis vel saepius renovabis. Ubi metuendum ne casus chronicus evadat, vel linimenta irritantia partibus resolutis infrices (Friedreich Tincturam Cantharidum, alii praeparata ammoniacalia e. s. p. elegerunt; Friedrich

(1) Bird in casu a se observato Flor. Arnicae cum Spir. Mindereri propinabat.

(2) Succow sola pella agnina nigra imposita in duobus casibus sanationem processisse tradit.

in casu quodam jam inveterascente infrictiones unguenti Autenriethiani in processum mastoïdeum, addito simul Infusi Flor. Arnic. cum Extr. Aconiti et Liq. C. C. succin. usu interno, non sine fructu instituit), vel ducciam frigidam malae, embrocationes frigidas palpebris, antea clausis, applices, vel electricitatem in partes affectas adhibeas (1). Friedrich electricitate ita usus est in duobus casibus, ut bis quotidie initio paucos et lenissimos, paulatim plures eosque fortiores ictus (sine dubio e conductore tantum, non e lagena) a regione perpaulo ante et infra processum mastoïdeum sita ad diversas partes resolutas duceret; in utroque casu primis diebus nulli remedii effectus apparuere, tunc vero inter ejus applicationem leves musculorum contractiones, atque ita in utroque, satis quidem recente casu electricitate per 3—4 hebdomades applicata pristinam musculi vim recuperaverunt. — Balnea supra memorata frigida localia Cel. Phoebus imprimis in casibus inveteratis duobus utilia sese praestitere, praecipue ad tollendam epiphoram, ultimum symptoma pertinaciter in altero casu perstans. — In casu quodam, qui jam undecim menses fere duraverat, Calomel usque ad salivationem porre-

(1) Casus quidam rheumaticae nervi paralyseos fulminis ictu sanatus esse videtur; cf. Olmstedt in v. Froriep's Notizen. Bd. I, pag. 206; sed descriptio obscurior casum illum huc computari vetat.

ctum, proficere Friedreichio videbatur, cui quidem annotandum, infriktiones Tincturae Cantharidum jam antea statum paulo meliorem reddidisse. Econtra in alio casu quem Shaw tradit, pilulae Anglis acceptae »caeruleae« (1) tam diu porrectae, ut dentes inde exciderent, frustra tentatae sunt.

In ceteris morbi speciebus, ubi remotis causis occasionalibus tamen affectio nervi inveterata perstet, remediis fere semper excitantibus aequae ac in rheumatica specie opus erit secundum decursum nervi ex anatomia notum adhibendis. Praeter speciem rheumaticam vero multum abest, ut jam specialius experientia edocti simus circa naturam irritantium cuivis speciei optime convenientium; laudati enim medici exteri, dum egregia circa pathologiam morborum istorum afferunt, pauca modo eaque in singulis modo casibus tentata circa medelam adjiciunt; quare in his casibus similes fere, ac pro specie rheumatica proposuimus, medelas adhibendas esse, salvo meliore, censeremus, vesicatoria nimirum vel diu continuata vel saepius repetita in regione processus mastoidei, linimenta irritantia, balnea affusoria localia frigida, tandem electricitatem galvanismumve.

(1) Constantes ex Hydrargyri depurati partibus duabus cum Conservae Rosarum partibus tribus tritis et Rad. Glycyrrhiz. pulv. parte una addita.

CASUS DUO RHEUMATICAE NERVI FACIALIS PARALYSEOS.

1.

Ernestus B., 23 annos natus, antea, ut ipse tradit, semper sanus, initio m. Febr. h. a. vehementem pedum perfrictionem passus est. Insequente nocte dextrum faciei latus fortiter intumuit, cum atrocibus doloribus vellicantibus per totum caput. Tumor aequabiliter diffusus erat, calidus, rubefactus. Insimul muscoli hujus regionis resoluti erant, unde os et menti cutis adeo insigniter sinistrorsum tracta et immobilia, ita ut aeger in loquendo et edendo sinistro modo oris latere uti posset. Aderat quoque in dextro latere blepharoptosis (symptoma insolitum). Linguae et musculorum bulbi motus, neque non sensuum omnium functiones integrae. Symptomatibus rheumatico-inflammatoriis decrescen-
tibus paralytica perstitere, quin valetudo universalis hominis aperte laesa fuisset, excepto quod cephalalgia interdum invaderetur.

Plures qui aegro consulere medici morbi naturam haud rite perspexisse videntur; inde multa eaque diversissima remedia sine successu adhibita. Tres adeo dentes evelli unus medicorum jussit, ut quorum labes mali causa esset. Praeterea hirudines et vesicatoria pone aurem repetitis vicibus applicata, serius olea irritantia infrieta et balnea Ros-

sica praecepta sunt. Utiliorem sese praestitit, lini-
menti phosphorati, urticationis et, cujus adhuc con-
tinuatur, electricitatis applicatio.

Hodie, elapsis quatuor mensibus, morbus ma-
gnam partem jam sublatus est. Tumorem vix ad-
huc cernis, os et mentum parum modo sinistrorsum
distracta, valetque homo, non quidem sine nisu ali-
quo, os et oculum aperire. Insignissime adhuc in-
ter ridendum resolutio sese prodit, in perfecta quiete
vix manifesta.

2.

Ludovicus J., triginta et aliquot annos natus,
lautae vitae addictus et rheumatismis subopportu-
nus, vespere quodam in thermopolio degens, ibique
probabiliter perfrictionem passus, subito dolorem
convellentem ab aure ad alteram atrocem sed mo-
mentaneum modo sensit. Post noctem quietam sur-
gens et salivam projiciens, hoc obliqua directione
fieri, et, speculo statim sese contemplan, os distra-
ctum miratus est; nasi directio immutata manserat,
oculus lateris affecti haud perfecte claudi potuit,
quod symptoma postea et noctu perstitit. Sympto-
mata febrilia, ut videtur, non aderant; neque minus
alia quoque rheumatismi acuti symptomata deside-
rabantur. Medicum quendam qui apud Berolinen-
ses summa cum laude artem exercet, statim advo-
catum, natura mali praeteriit, qui apoplexiae pro-
dromos cernere sibi videbatur. Remedia secundum

hanc indicationem praecepta aequè parum ac emplastra vesicatoria in remotis locis et balnea Rossica serius praescripta juverunt; tandem duccia frigida in partes laesas applicata statim juvit. Attamen hodie adhuc affectum oris latus paulo debilius est, ut facile a sano vincatur et protrahatur; quae res hominem a sibilando impedit.

V I T A.

Ego **Eugenius Humbert** natus sum **Berolini** a. **MDCCCVIII** patre **Joanne Paulo**, matre **Carolina** e gente **Pauli**, quos optimos parentes mihi jam abreptos valde lugeo. **Confessioni evangelicae** addictus sum.

Primis litterarum rudimentis in schola **Cel. Prof. Hartung** instructus, a. **MDCCCXXIV** **Gymnasium Fridericum Guilelmum** t. t. **Rectore Cel. Prof. Spilleke** florens petii, ut litteris quae ad studia academica viam muniunt incumberem.

Examine abiturientium rite absoluto, testimonioque maturitatis acquisito, ab **Ill. Klenze**, t. t. **Rectore Magnifico** mense **Octob.** a. **MDCCCXXIX** universitati **Berolinensi** adscriptus, et ab **Ill. Bar-**

tels, t. t. Medicorum ordinis Decano spectab. in album Ordinis medici relatus sum, ac per primos sex menses his interfui lectionibus: Ill. Ritter de logice, Ill. Wilken de historia mediæ aevi, Cel. Casper de encyclopaedia et methodologia medica, Beat. Rudolphi de osteologia, anatomia corporis humani sani, sensuum et fetus, Ill. Schlemm de syndesmologia.

Tum Bonnam me contuli ubi a Beat. de Droste t. t. Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus, Ill. Mayer t. t. Decano facultatis medicæ nomen dedi. Per annum unum disserentes hosce audivi praeceptores: Ill. Bischoff de chemia experimentalis, Ill. de Münchow de physice, Ill. Treviranum de botanice tam theoretica quam practica, Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Goldfuss de zoologia et zootomia, Ill. van Calker de psychologia, Cel. Weber de anatomia corporis humani sani, Ill. Mueller de physiologia et pathologia generali, Ill. Harless de materia medica.

In universitatem Berolinensem redux, lectionibus Beat. Rudolphi de anatomia comparata et pathologica, Ill. Hecker de historia medicinae, Ill. Juengken de chirurgia et akiurgia, Beat. Sundelin de methodo formulas rite concinnandi, Ill. Bartels de pathologia et therapia speciali, Ill. Osann de pharmacologia, Ill. Kluge de artis obstetriciae parte theoretica, de ossibus fractis et lu-

xatis, de arte fascias imponendi, Cel. Angelstein de oculorum morbis, interfui. Artem cadavera dissecandi Bonnae Ill. Mayer et Cel. Weber, Bero- lini Beat. Rudolphi et Ill. Schlemm me docuerunt.

Scholas clinicas frequentavi medicas Ill. Bar- tels, Cel. Wolff, policlinicas Ill. Hufeland, Ill. Osanna, Cel. Busse, chirurgicas Ill. de Graefe, Ill. Rust, ophthalmiatricas Ill. Juengken; Cel. Barez in clinico morbos infantum curandos me docuit. Ill. Kluge et Ill. Busch ducibus artem obstetriciam exercui.

Jam tentaminibus tam philosophico quam me- dico et examine rigoroso coram gratioso Medicorum Ordine rite absolutis, spero, fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Membranam mucosam et cutem ejusdem naturae esse nego.
 2. Non sunt peculiares oculorum morbi.
 3. Signum pathognomonicum fracturae colli ossis femoris non exstat.
 4. Paracentesis abdominis in ascite rejicienda non est.
-